

Abrahamus Vater ... Ordinis Medici ... Decanus ... de vitrioli ejusque sulphuris et tincturae indole atque praestantia quaedam praefatus Dissertationem Inauguralem de purgatione alvi frequentiore veneno magis quam panacea ... indicit / [Abraham Vater].

Contributors

Vater, Abraham, 1684-1751.
Universität Wittenberg.

Publication/Creation

[Wittembergae] : [Prelo Ephraim Gottlob Eichsfeldii], [1751]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/guzrwunk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ORDINIS MEDICI
IN
ACADEMIA VVITTEMBERGENSI
H. T.
DECANVS
D. ABRAHAMVS VATER
FACVLTAT. MEDIC. SENIOR ET PROFESSOR PRIMARIVS
SOCIET. NATVR. CVRIOS. ET LONDIN. ET BEROLIN.
SODALIS
DE
VITRIOLI
EIVSQUE SVLPVRIS ET TINCTVRAE
INDOLE ATQVE PRAESTANTIA
QVAEDAM PRAEFATVS
DISSERTATIONEM INAUGVRALEM
DE
PVRGATIONE ALVI FREQVENTIORE
VENENO MAGIS QVAM PANACEA
D. XXII. SEPT. MDCCLI.
H. L. Q. C.
HABENDAM
INDICIT.

ORDINIS MEDICI

ACADEMIA VITTEMBERGENSIS

DECANVS

ABRAHAMVS VATER

ACADEMIAE VITTEMBERGENSIS
SOCIETAS MEDICORVM ET PHYSICORVM

VITAE ET MORVM

INSTITVTVM

DISECTATIONVM

PRACTICARVM

VITAE ET MORVM

INSTITVTVM

DISECTATIONVM

PRACTICARVM



Q. D. B. V.



itriolum, Sal illud fossile minerale, aut, uti Boerhaavius uocat, Semimetallum salinum, a Paracelsi inde temporibus, magni inter Chymicos nominis fuit. Hic enim in Operibus


fuis laudes Vitrioli cecinit, et praeparata ex illo tertiam Pharmacopolii partem constituere posse, asseruit. Quaesuerunt inprimis in illo arcanum tantopere desideratum, uniuersalem medicinam, secundum illud tritum aenigma, ex literis initialibus compositum: *Visita Interiora Terrae, Rectificando Inuenies Occultum Lapidum Veram Medicinam.* Non is ego sum, qui Chymicorum, quos inter haud pauci Pseudo-Chymici sunt, commenta atque superba de suis arcanis elogia approbare, eorumque defensionem in me suscipere uolo. Vitrioli tamen naturam mecum fatebuntur inexhaustam, qui in laboribus Chymicis exercitati sunt. Testatur de hoc inprimis spiritus, qui toties ex capite mortuo nouus prodit, quoties illud aeri liberiori denuo per tempus exponitur, quem ideo regeneratum uocant, sicut ipsae minerae uitriolicae hac ratione nouum uitriolum praebent; Imo caput mortuum uitrioli



aut terra vitrioli dulcis, uel scorïae a coniunctione vitrioli cum sale alcalico praecipitatae, post elotionem tartari vitriolati, si cum sale ammoniaco sublimantur, flores croceo colore tinctos et odore gratissimos, atque spiritum vitrioli sulphureum uolatilem praebent. Consentit in eo *Boerhauius Elem. Chemic. Tom. II. Part. III. Process. CCVII. de Ente Veneris in usu pag. 504.* Cum post extremam ignis torturam uase clauso et aperto sustentatam, tamen vitriolici quid semper supersit, mirum non est, fumos vitrioli manere spirantes semper, utcunque diutissime augeatur destillatione vitriolum, sane meretur explorari hoc mirabile corpus. Possẽm hic uaria adducere phaenomena in resolutionibus vitrioli obseruata, quae quidem apud multos fidem non inuenirent, nihilosecius certiore me redderunt, genuinorum Chymicorum dictis ueritatem omnino inesse. Inprimis uero sulphur vitrioli anodynum est id, quod adeo anxie quaesuit Chymicorum turba, ideo, quod Paracelsus, qui primam eius mentionem capite septimo de rebus naturalibus, sed absque Processu seu modi parandi descriptione fecit, adeo commendauerit uim eius anodynam, ut in summos labores spemque maximam coniecerit omnes sui admiratores, qui tamen ut plurimum laborarunt irritò, ut etiam ipsius aëclae quidam eo tandem deuenierint, ut statuerent, Paracelsum ipsum ignorasse praeparationem, saltem ingenio alias gloriabundo tanta de eodem praedicasse, ut ingenia promissis uexaret, uid. *B. Parentis Dissertatio de Sulphure Vitrioli anodyno Anno 1683. hic Wittenbergae habita.* Inter recentiores tale quid Vitriolo inesse negat *Barchusen in Pyrosophia Lib. III. Sect. V. cap. 3. pag. 305.* ubi haec habet: Hactenus experientia non probatur, quod talis e vitriolo in aqua dissoluto, ab affusione alcali cuiusdam praecipitatus metallicus puluis, talibus uiribus gauderet: Ipse ne uestigium quidem de hoc quamuis satis inquirerem, inueni. Sed sulphuris anodynĩ in Vitriolo praesentiam probat spiritus ex oleo vitrioli cum spiritu uini rectificatissimo para-



tus, qualis est liquor mineralis anodynus Hoffmanni et spiritus aethereus Frobenii, et penitus euincunt flores salis ammoniaci, ex puluere illo in confectione tartari uitriolati praecipitato, aut quocunque capite mortuo uitrioli, inprimis ex lapide Haematite parati, qui colore flauo et odore crocum orientalem perfecte aemulantur, ex quibus spiritus uini affusio Tincturam auream gratissimi odoris exhibet, ex quo Aroph suum parauit Paracelsus, ab ipso Aroma Philosophorum, a Polemanno Sulphur Philosophorum, et ab Helmontio primum Ens Veneris uocatum. Odorem hunc gratissimum et amoenissimum, qui omnia aromata suaueolentia superat, non certe a sale ammoniaco, sed a Vitriolo repetere licet, saltem, quod sapor austerus et stypticus ex Vitriolo adhaerens, difficillime abinde separari liceat, in quo sane cardo rei uersatur. Separato quidem sale ammoniaco per sublimationem aut destillationem, addito alcali, relinquitur puluis coloris sulphurei subtilissimus, at omni sapore et odore destitutus. Huic tamen sulphuri anodyno uires admirandas tribuunt anodynas Auctores, de quo uid. *Diff. Parentis cit.* e quibus tantum unicum adducam Syluium, qui in *Praxi medica Libro II. capite 26.* haec habet §. XVII. Quod de uitrioli sulphure narcotico, uel potius anodyno aut pacatiuo narrant multi, satis arguit ignotum esse plerisque hoc sulphur, nunquam tamen satis laudatum, ob uires plane stupendas, utpote quas, expertus loquor, non satis ualeo mente assequi, tantum abest, ut ore depraedicare queam, et §. XXXII. Quaerant, pergit, omnes anodynum illud uitrioli et pro arcano summo habeant, quotquot ipsum inuenerint, mirabilia namque praestat in uariis affectibus difficillime curandis. Non equidem me tam felicem praedicare possum, ut sulphuris huius uitrioli anodynus compos redditus sim; obtinui tamen ante plures annos ex capite mortuo uitrioli apto menstruo recluso, cum spiritu uini rectificatissimo Tincturam, quae odore opii aemulo et sapore grate amaro se commendat,



atque abstracto uel deflagrato spiritu uini relinquit sedimentum resinofum ad instar myrrhae, quod reaffuso spiritu uini, Tincturam sine omni mutatione reddit, signum certe genuinae Tincturae, quod in Tincturis Coralliorum, antimoni ac ex ipso auro paratis hactenus notis, desideratur. Huius Tincturae uirtutem anodynam, antispasmodicam, roborantem et singulariter reficientem in variis casibus, ipsisque febribus malignis, imprimis uero haemorrhagiis, etiam Dysenteria expertus sum. Sed paucitas Tincturae huius tempore diuturno, haud exiguo labore et patientia comparandae, pretiosum reddit medicamentum, pretium tamen compensat eiusdem efficacia, ob quam magnis dosibus eandem exhibere non est opus, cum pauciores guttulae pro dosi sufficiant. At ne quid gloriosius me de ea sentire quis existimet, eandem Tibi L. B. nullatenus loco panaceae obtrudere animus est, exemplo aliorum et imprimis auctoris illius libri gallici, recentissime in linguam germanicam uersi, in quo purgante suo medicamento omnes morbos auerruncari posse, nobis persuadere, idque copiosis testimoniis corroborare nititur, cuius mentionem fecit Excellentissimus LANGGVTH Fautor et Collega Honoratissimus in Dissertatione Inaugurali, quam sub eiusdem Praesidio defensurus est Clarissimus Candidatus, qui uitae et studiorum suorum rationem in sequentibus exposuit,

*Ego GEORGIUS CHRISTIANVS
KLINGNERVS Lipsiae Anno huius seculi uicesimo sexto die quarto mensis April. parentibus GEORGIO KLINGNERO, Mercatore, atque
MAR-*



MARGARETHA, e gente Goeringia haud obscura in lucem editus sum. Prima pietatis, morum, literarumque elementa privatis doctus praeceptoribus, utramque scholam, quae a Nicolao, atque Thoma nomen habet, frequentavi. Tunc Gymnasium illustre, quod Martisburgi floret, adii, ducibusque praeceptoribus, *M. BALTHASARO HOFFMANNO*, Rectore, atque *WILHELMO KVPFFERO*, Conrectore profeci. Multa imprimis priori debeo, siquidem non publica eius solum doctrina, sed eadem domo, eademque mensa cum eo usus sum. Studiis tandem scholasticis per triennium peractis, absolutisque, praeceptorum Consilio almam elegi Leucoream, ibique Viris excellentissimis, *GEORGIO MATHIA BOSIO*, sceptrum tenente Academicum, atque *CHRISTIANO SIGISMUNDO GEORGIO*, b. t. Decano spectabili, Die X. mens. Septembr. Anno huius Seculi *XLIIIX* in numerum studiosorum receptus literis operam dedi. In Mathematicis, Physicis atque Philosophi-



*losophicis Celeberrimos WEIDLEROS, BOSI-
OS atque LICHTWEHROS habui Praeceptores.
Anno huius seculi XLIX die XVII. mens. Octo-
bris a IOHANNE HENRICO MARTIO
eo tempore Comite Palatino Magistri gradum ac-
cepi. Quod uero ad nostram spectat artem, VOS,
VIRI MAGNIFICI, VATEROS, TRIL-
LEROS, atque LANGGVTHOS sequutus
sum, et VESTRAS, tum publicas tum pri-
uatas Lectiones frequentauī.*

Absoluto ita studiorum Academicorum cursu, summos a
Facultate honores petiit atque d. XXX Iun. ad Examen con-
suetum admissus, expectationi nostrae satisfecit atque inter
Medicinae Candidatos receptus est. Superest, ut specimen
publicum edat. Ad quem Actum solemnem Magnificum
Academiae Rectorem, Patres Conscriptos atque reliquos
literarum Fautores perquam officiose et perhu-
maniter, inuitatos uolumus.



VVITTEMBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELD
ACADEMIA A TYPIS.